



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

9. Num impediri retractus possit ex consensu venditoris, vel poenitentia  
retrahentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)



De retractu titulo communionis.

1. *Servanda sunt in hoc retractu conditiones precedentis.*
2. *Competit his tantum qui in eadem re indivisum dominium habent.*
3. *Quae sunt examinanda.*
4. *Plures consent in rebus immobilibus, & mobilibus retractum esse concedendum.*
5. *Verius est solum in rebus immobilibus.*
6. *Vi possunt hoc retractu indivisum dominium habentes.*
7. *Vxor non competit ius retrahendi alienata à marito.*
8. *V usufructuarius nequit retrahere domino vendente fructum.*
9. *Validum est pactum inter proprietarium, & usufructuarium, quod si proprietarius fundum vendiderit possit usufructuarius retrahere.*
10. *Emphyteuta, & superficiario competit ius retrahendi.*
11. *Qui ordo servandus est in hoc retractu.*
12. *Cum plures ad retractum concurrunt pro aequis portionibus res dividi debet.*
13. *Vi locus sit huic retractui debet res alteri quam socio vendi.*
14. *De tempore ad praedictum retractum concessio.*

**A**liud est genus retractus, quod communionis; seu societatis dicitur; de quo in *leg. regia* 1. §. tit. 5. part. 5. & *leg. 13. & 14. tit. 1. lib. 5. collect.* Cum enim plures pro indiviso sunt domini alicuius fundi vel servitutis, & vnus illorum suam partem extraneo vendit, alij potestatem habent oblato eodem pretio rem venditam retrahendi. In quo retractu decedit *lex 14. eadem conditiones servandas esse quae pro retractu iure sanguinis statuta sunt.* Ut advertit Gregor. Lopez, *dicta leg. 5. tit. 5. par. 5. gloss. 8. verbo debe aueri.*

Hic communionis retractus his tantum competit qui in eadem re indivisum ius & dominium habent; sicuti Titius, & Sempronius eiusdem fundi dominium pro indiviso habent, & Titius suam partem venderet, posset utique Sempronius illam retrahere oblato eodem pretio, uti *ex supra dictis legibus* constat.

Videndum autem est quibus in rebus locum habeat hic retractus. Secundum qui eo retractus vii possunt. Tertio qui ordo inter ipsos retrahentes servandus est. Quarto quibus facienda venditio. Quinto quod tempus praedicto retractui concedatur.

Circa primum Gregor. Lopez *d. leg. 5. tit. 5. par. 4.* quem aliis relatis sequuntur Matien. *leg. 13. tit. 1. lib. 5. gloss. 2. num. 3.* Gutier. *2. pract. quest. 163.* existimat de iure verius esse retractum communionis concedendum esse in rebus mobilibus, & se mouentibus. Tum quia *h. lex 55. & leges 74 & 75. Tauri* quae sunt *13. & 14. tit. 1. libro 5. collect.* videntur verbo *cosa* quod generale est, & tam mobilia, quam immobilia comprehendit. *iuxta leg. 1. in fine. ff. si certum petatur. leg. rei appellatione. ff. de verbor. significat.* Praeterea verbum *res* etiam absque signo vniuersali adiuncto iura, & actiones comprehendit *leg. si legatus §. 1. & leg. nam quod §. vltim. & leg. quoniam §. vir & alij. ff. ad Trebellian.* Tum quia ratio concedendi retractum titulo communionis aequè in rebus mobilibus, ac immobilibus procedit, cum plures partem in rebus mobilibus habere possint, sicuti in immobilibus. Quod secus est in retractu sanguinis qui cum natus affectioni ad res patrimoniales, eo quod à maioribus sint possessa, raro haec affectio mobilibus adherere potest, cum haec vix ex vnâ in aliam generationem deueniant, sed plerumque vna generatione absumantur.

Hinc inferunt praefati Doctores, si plures vnus rei sine emphyteuta, superficiario, usufructuario, & vnus illorum suam partem extraneo vendat, posse alios consortes eodem oblato pretio retrahere.

Ceterum etiam praedicta sententia sit satis probabilis, veriorum existimo quae affirmat retractum communionis tantum in rebus immobilibus exerceri posse, sicuti de retractu sanguinis diximus. Vti docuit Azucedo, *d. leg. 13. num. 3. & 8.* & Molina, *disput. 37. 1. initio.* & colligitur ex eo quod asserunt Gregor. Lopez, & Gutier. *locis allegatis*, testantur namque retractum ad mobilia nunquam vidisse in forensi iudicio extensum, vixque eam extensionem in praxi obtineri posse. Ergo siquum est iuri regio conformem non esse, alias saltem aliquando in praxi hic retractus deductus esset. Ratio autem ea est, quia retractus cum sit quid odiosum, & iuri communi non leuiter derogans extendendus non est, sed restringendus in casu dubio. At negari non potest dubium esse, an leges loquentes de hoc retractu communionis intelligendae sint de solis immobilibus, an etiam de mobilibus. Nam esto verbum aliqua

utraque vendita fuerit. Sic tradunt Ant. Gom. Matien. Azucedo, Gutier. *loc. alleg.*

14. Ex his facile deducet praxim intendendi retractum. Nam vendita re patrimoniali, seu auita extraneo, vel remotiori consanguineo requirere debes emptorem oblato pretio vt sibi restituat. Quod si acquiescere noluerit adire debes iudicem apud quem libellum in forma propones. *Coram vobis domine iudex compareo meliori modo quo possum, & dico quod Petrus meus consanguineus vendidit rem patrimoniale immobilis extraneo tanto pretio, quem oblato pretio requisitus, vt mihi vt pote consanguineo venditoris & cui ius retractus competit rem emptam restitueret, cui peritio noluit acquiescere, ideo à vestra dominatione postulo, vt ipsum compellat rem emptam mihi redere, siquidem pretium datum offero, & paratus sum omnes ei sumptus soluere. Quod si pretium noluerit recipere peto illius consignationem apud idoneum virum, & fidelem, emptoremque requiro, vt statim declarat si quid soluit amplius, nullaque edificia in fundo empto construat, nulloque census si forte constituti sunt redimat, alioquin suis sine sumptibus solvenda. Et tandem iuro per Deum quod mihi & non alteri retractum intento absque ulla dolo vel fraude.*

§. IX.

Num impediri retractus possit ex consensu venditoris, vel penitentia retrahentis?

1. *Ante venditionem incompletam retractus impediri potest ex consensu emptoris, & venditoris. Secus si completa sit.*
2. *Negant aliqui ex penitentia retrahentis cessare retractum posse.*
3. *Verius est oppositum. Et sic satis contrariis.*

**R**e vendita emptori non tradita, nec pretio illius à venditore accepto impediri retractus potest ex consensu emptoris, & venditoris; nam cum contractus firmitatem non obtinuerit, nec emptori fuerit ius quassitum, nulla est causa quo minus retractus impediri à venditore possit. Secus videtur dicendum, si res tradita fuisset emptori, vel pretium illius à venditore acceptum, quia eo ipso venditio completa est, & ius retrahendi consanguineo quassitum, quod nullatenus emptor, aut venditor quantumuis à venditione facta difcedant infirmare valent. *argum. leg. quidam in testamento leg. rogo. ff. de fidei commissar. libertat. & pluribus comprobatur Matien. leg. 8. tit. 1. lib. 5. gloss. 3. num. 24. & seqq.*

Dubium tamen graue est, An ex parte consanguinei retrahentis impediri retractus possit: Et dubium procedit cum consanguineus retractum intendant, & obtruniquae aduersus emptorem sententiam, vt sibi res patrimonialis adiudicaretur soluto pretio, alisque sumptibus ab emptore exhibitis, an inquam in eo euentu cessare possit retrahens à retractu inuito emptore? Negant aliqui quos refert Matien. *leg. 12. tit. 1. lib. 5. compilat. gloss. 2. num. 1. & seq.* Ducti eo quod per sententiam victo acquiratur actio in factum, vt compellere possit vincentem stare sententiae, illamque exequi quatenus sua interest. Ob quam rationem appellans nequit inuito eo contra quem appellatur renuntiare appellationi, neque is cui dilatoria concessa est dilatori renuntiare. Etenim consanguineus emptorem compellit in iudicio, vt rem emptam sibi tradat. Ergo ab ea compulsionem facta recedere nequit inuito compulso. Sicuti his & aliis pluribus comprobatur Tiraquel. *lib. 1. de retract. à n. 24. & seq. Greg. Lopez. leg. 5. gloss. vltim. ad med. tit. 5. par. 5.*

3. Nihilominus longe verius est posse consanguineum retrahentem à retractu desistere, tamen si per sententiam illi fuerit res adiudicata. Vti docuit Tiraquel. *in fine. retract. lignagier. n. 2. & seqq. Matien. d. gloss. 2. n. 8. Azucedo leg. 7. tit. 1. lib. 5. compilat. n. 34. cum Boerio decis. 48. n. 2. 6. & 22.* Fundamentum sumitur ex *leg. si iudex circumuento. ff. de minorib.* Vbi minor non cogitur vt beneficio restitutionis in integrum si noluit, quia hoc beneficium competit minori ex iure speciali, & extraordinario. At beneficium retractus competit consanguineo iure speciali, & extraordinario ob affectionem ad res patrimoniales. Sicuti pluribus firmat Tiraquel. *supra. n. 24.* Ergo quamuis iuri alterius quassito secundum communes regulas preiudicari non possit, bene tamen cum ex iure singulari, speciali, & extraordinario quassitum est. Ex quibus fundamentum oppositum soluitur.

Moment tamen & bene Tiraquel. Matien. & Azucedo obligandum esse consanguineum retrahentem soluere expensas, quas in lite mota emptor fecerit, si probabilem causam litigandi habuit.

